Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Epistolae eruditorum,

https://hdl.handle.net/1874/391933

Hs 1676
(7B 21¹)

Art. nr. 10322

N° 9

Var. 481

Hs.
7. B. 21¹

1676

Chart. forma varia. 17 fol. Saec. XVI—XVII (1565—1643).

Epistolae eruditorum.

1. Lamb. Hortensius ad Thom. Persoels, ex Norda, pridie Matthiae 1565.
2. Hugo Ruysch ad Arn. Buchelium Parisiis, e Duaco 29 Julii s. a. (1585).
3. Suffridus Petrus ad Theodorum Canterum, dd. Coloniae 10 Jan. 1594.
4. Just. Lipsius ad Lamb. van der Burch, dd. Lovan. III Id. Jun. 1595 (non in P. Burmanni Sylloge Epistolarum).
5. Henricus Lindenbruch ad Theod. Canterum, dd. Hamburgi VI Id. Jun. 1596.
6. Joa. Meursius ad eundem, pridie Id. Januar. 1597.
7. Joa. Werchovius ad Arn. Buchelium, VI Kl. Jul. 1599.

8—10. Everardus Bootius ad Theod. Canterum (3 exempl.), dd. Lugduni Bat. 1599 XVIII Kl. Januar. stylo hollandico, 7 Kl. sextil. calendo Gregoriano, 29 Sept.

11. Fr. Junius ad eundem, dd. Lugduni Bat. 14 Sept. 1600.
12. Henr. Eppius ad Arn. Buchelium, dd. Ultraiecti 15 Julii 1621 styl: vet.
13. Arn. Buchelius ad Casparem Barlaeum, dd. Ultraiecti XVII Kl. Oct. 1630.
14. Jacobus Lydius ad Gisb. Lappium, dd. Dordr. 24 Mart. 1643.

N. 1—12, 14 donum v. doct. J. A. Grothe.

Ligging	N.	Belending	Aanmerkingen
Oz ⁰/d Oude gracht tusschen de Romer en Gaard bruggen.		Ten Noorden Wevering Ten Zuiden de Meyere.	
Oz ⁰/d lage Nassegast of Hekel steeg.		Ten Noorden een dwarssteegje Ten Zuiden 't volgende perceel.	
Als boven		Ten Noorden bovengend. huis Ten Zuiden Wen C. Kok.	
Als boven		Ten Noorden Wen C. Kok. Ten Zuiden P. Rynders.	
Als boven		Ten Noorden A. v. Schaick. Ten Zuiden een dwarssteegje.	
Oz ⁰/d Juffrouwstr by de Geerte-kerk.		Ten Noorden Schuylenburg Ten Zuiden de Wed Doff.	
Zz ⁰/d lange S. Jansstraat.		Tusschen A. Russels en Fl. v. Baaren.	
Wz ⁰/d. Springweg		Ten Noorden S. v. Wulmerhorst. Ten Zuiden H. Willemse.	
Wz v.d. Donkerstr by de Zalestr.		Tusschen v. Gelderen en 't Roomsche Kinderhuis	
Zz ⁰/d lange Smeesteeg		Ten Oosten de Wed v H. v. Born Ten Westen J. v. d. Waard.	
Oz ⁰/d Oude gracht by de Jacobie brug.		Ten Noorden de Wed. Dadelbeek. Ten Zuiden de erven v. W. J. v. Dijk.	
Als boven		Als boven.	
Wz ⁰/d Wystraat		Tusschen .. Hagen.	
Zz ⁰/d Ganzenmarkt.		Ten Oosten P. Dikhoff. Ten Westen C. v. Nieuwenhuisen	

Lambertus Hortensius

1565

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

1

En humanissime vir, mitto tibi per filium meum
Hieronymum libra, velquem promoveas suo tempore
ad obtinendos ordines ecclesiasticos. Habet aetatis
videlicet 24. annos. Rem gratissimam mihi fece-
ris, si pro veteri nostra amicitia, fidelem tuam ope-
ram hic mihi praestiteris, Itidem habebis me tibi
tibi obligatissimum, ubi ubi tibi prodesse potero, [illegible]
vir optime. ex Dorda, pridie Matthiae anno
lxv. supra M. ccccc.

Lambertus Hortensius tuus
semper amicus.

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

R. 1565
24 feb.
[illegible]
[illegible]

Viro humaniſsimo,
Erudito D. Tho-
mæ Perſels, amico
ſincero.

Hugo Ruysch

[library stamp]

Quod mi dilecte Buchelli post tam longum temporis
locique intervallum adhuc mei meministi, mihique scripsisti pergratum
fuit: eo gratius quod iam existimabam mei memoriam excidisse
quod ex literis aliter intellexi: summam enim tuam in me bene-
volentiam, amoremque testantur; qua potest mihi nec gratius esse
quicquam, nec iucundius est. Sunt qui se beatos putant si
opes, si divitias, si nobilitatem, si amplas fortunae copias adipis-
cantur: at mea longe alia mens: quippe qui amicitiam vitae
tutissimum praesidium ac magnum decus ceteris rebus humanis
antepono. Disiungit nos locorum diversitas: quae nos dirimit (ut
veteres scribam) corpora et membra disiungit. At coniungit natura
animos: copulat amor, ut si apud te absens, absens nunc tecum
scriptis loquor ita ut mihi non modo absens sed praesens videaris.
Amant quidam multi quos coram cernunt, atque adeo perspiciunt:
nos vero quo longius corpore absumus, animo coniunctiores sumus.
Hoc de me certo scio, et confiteor, de te quoque spero et confido.
Hisce aliquid novi adiecerem si non putarem te citius ex Parisiis quam
me Duaci certiorem fieri; id unum tamen tibi significare volo; cum
Mechliniensibus pacem initam esse, sed qua conditione me fugit.
De Antverpiensibus vero (ut rumor fertur) bona affulget spes.
Ceterum nihil habeo quod ad te dem nisi rogatus a Bloem [illegible]
ut tibi significarem [illegible] noluisse recipere apocam:
quapropter vellet, ut tu quid in hac re facto opus sit brevi,
breviterque perscriberes. De libris mentionem non facio, quia
nondum nactus sum opportunitatem in patriam mittendi. Hisce
amice mi charissime valere te cupio rogoque ut mihi scribas quomodo ibi
vivatis et statum si possis Parisiensium. quaeso me gravioribus meo
nomine Vanderspelios salutare, omnesque quos ibi mei studiosos
habere possum. Raptim Duaci 23 Julii

Tuus totus Hugo Runsch

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

A monſigneur.

Monſigneur et bon amy
Arnout buchel
A Parys.

Suffridus Petrus.

1594

BIBLIOTHEEK DER RIJKSUNIVERSITEIT TE UTRECHT

3

S. P. Scripsi ante aliquot hebdomadas ad te, cum candide ac petii indicium
tuum propius de nostris Scriptoribus, quod ego sane nunc expecto. Deinde
etiam quod de oraculis magicis promisi, libenter facturum sum, si
tu transmittendi viam monstraveris. Nolim enim labores nostros temere
abijcere. quare quod rogo quaeso fac cito, et collegium nostrum bene
consulas. Bene vale, et me, ut facis, ama. Coloniae. 10. Jan. an. 1594.

tuus totus

Suffridus Petrus L.

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

3

Ampliſsimo, clariſsimo, conſul-
tiſsimoque Viro ac Dno Theodoro
Cantero Ultraiectinæ Reipub.
Conſuli Dno et amico ſuo:

Ultraiecti:

1676 (7 B 21)

J. Lipsius

1595

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

H

Reverende et Nobilis Domine,

Legi serio et libenter scriptum tuum de stirpe Sabaudorum principum, quod etsi magni operis pars modo et praescriptum est, tamen vel ex eo de tota serie et forma operis facile nobis indicare. Maneo itaque in sententia, et rem te facturum publice utilem, ipsis principibus gratam arbitror, si in lucem haec emittis. Sunt quidem libri, id est veri, quaedam scripta quam pro turbido ipso et pestilenti aevo, sed in ipsis bonae [illegible], et Historiae prima lex est: quam tu reddis in parte, etsi non in stirpibus. Nec enim nuda Genealogia est, sed facta et dicta interdum Virorum insertis: quod ego probo, nec me referunt sola nomina et sine alio fructu familiarum vani. Habes iudicium meum: quod ex longinquo et loco liceat in quibus et, tuum evidentius erit distinctio. Vale vir R^de^ et Nob. et [illegible] tuum Campinium amanter a me saluta. Lovanii, III. Id. Jun. MDXCV.

R. T.

addictissimus J. Lipsius

haec verba Sammartani fratres ex his literis excerpta subjunxere Historiae genealogicae de la maison royale de France immediate post indices tomi II.

Exemplar Militiae missi tibi dare. Sed quia necdum alis oblitis, ne sileat quidem nostrae, rogo uti apud te habeas, nec divulges.

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

3 Io. Iuni. 1595.

Rev^do^ et nobilissimo
viro
D. Lamberto vander-Burgio
Decano S^tae^ Mariae
Ultraiecti

1596

Hend. Lindenbruch.

[library stamp]

30.   5

Henricus Lindenbruch Theodoro Cantero S.

Amicitia tuâ, Nobilissime Cantere, nec gratior mihi ulla, nec iucundior; sed gratior multo iucundiorque futura, si crebriores inter nos forent literæ, a quibus cessauimus iam bene diu. Nec hoc tamen nostra aliquâ culpa factum, ausim dicere. Tuis enim simulac frater meus ad nos rediens, eas mihi reddidit, respondi. nec tu quia idem feceris, aliter mihi persuadere possum. Redundabit igitur omnis huius silentij inuidia in Franciscum iuniorem Raphelengium, cui hoc curandarum literarum munus demandaueramus. Et sane est in huiusmodi negotijs sic satis negligens. Nam et Scaliger illi fasciculum literarum ad nos dederat, quem ultra tres menses retinens, ne tum quidem dimisisset, ni ab illo denuo fuisset admonitus. Quare imposterum ad nos literas daturus (uti eas nunc, una cum uarijs lectionibus ad Ciceronem de quibus spem aliquam fecisti, cupide expectamus) diligentiori committas uelim. Epistolam aliquam Iuliani Imp. non dum, quod sciam, editam, modo dono a me accipies, quam æqui bonique consulas rogo. Aliud in præsentiarum non erat, quo amorem meum erga te, et beniuolentiam declarare possem. Vale. Data Hamburgi VI Idus Iunij Anno CIↃ IↃ XCVI.

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

Nobiliſsimo Theodoro Cantero
V. Cos.

Vltraiectum

1596

Joannes Meursius 1597

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

6

Clarissimo viro Theodoro Cantero S. P. D.

umbratici

Equidem sic censeo, vir amplissime, in Afro isthoc tuo scriptore, complúria esse quá, isti in triuio doctorculi non capiunt, et vix est vt capiant vnquā. Proponam locum eius vnicum et deprauatissimum, et difficillimum. Is est paginâ 63 in illis verbis. Quid sit Dibus, quid Dynamis sesquioctauus, aut sesquitertius vltimus Olim sollicitabas, forte non iam. Nosti enim, quod tunc tibi haud in mentem venit, Dibum esse vocem è Graeciâ petitam, quales in istis libris alia multa, et binionem designare. Agathias in epigrammate εἰς τὰ τάβλα Ζήνωνος τοῦ βασιλέως.

— μονάδα δ' ἄλλην

ψῆφον τὴν πυμάτην ἀμφιέπεσκε δίβος.

Deinde pro Dynamis vide an non maueis Dynamis: nam ~~ita~~ quatrio eâ voce designatur, accepitque id nominis à Pythagoricis, quia denarium, qui numerus plenus, constituere possit solus. Audi super hac re Hieroclem in Comment. ad χρυσᾶ ἔπη Pythagoræ. Τῆς δὲ δεκάδος δύναμις ἡ τετράς. πρὸ γὰρ τῆς κατὰ διέξοδον τελειότητος τῆς ἐν τῇ δεκάδι εὑρωμένην τις τελειότης ἐν τῇ τετράδι θεωρεῖται. κατὰ γὰρ σύνθεσιν τῆς ἀπὸ μονάδος ἕως τετράδος δεκὰς τὸ πᾶν ἄθροισμα γίγνεται. ά γὰρ, καὶ β', καὶ γ', καὶ δ', τὴν δεκάδα. καὶ ἔστι μεσότης ἀριθμητικὴ ἡ τετράς. Deinde scribo semioctauus, et semitertius. Cum enim quatrio sit octonarij dimidium, quomodo dici sesquioctauus potest. Sed narro tibi, ortum indubie inde mendum quia scriptum erat sesmioctauus item sesmitertius, ἀρχαϊκῶς, sicuti Casmena, dusmosus, et similia. Pro postremâ voce vultirius respono. Duplica literam principem, sequentes leniter dirime, videbis quantum à vulgatâ lectione abs me discessum. Vultirium autem pro Vnione posuit. Nec turbet te quod eum semitertium dicat, cum semisecundum debuisset nam Vnio, qui in ternario medius et supervacaneus, sectionem nullus admittit: ac proinde parum omnino refert, siue semisecundum siue semitertium dicat. Hæc mea de eo loco sententia, quā non potui tibi non perscribere. Tu, si displicet, Aristarchi veruta adhibe. Lycophronem iam pene ad vmbilicum operæ perduxerunt, posteà reliquos meos libellos aggressuræ. De Dousæ præcipiti abitu, credo, audisti. Ab cæcum fatum, quo vrgente optimus ille et doctissimus iuuenis, flos nostræ Batauiæ, in viuis numerari desijt. Nos homines! quid sumus? non aliud quam σκιᾶς ὄναρ, vt ait Lyricus: et vt alter ille Melesigenes, οἵηπερ φύλλων γενεή. Pestis in nostrâ vrbe grassari incipit, et non vni fatalis hic annus futurus videtur. Fors etiam mihi: quid ni? ego me mortalem

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

novi (liceat enim de altioribus his ex animo apud te prologui) et deberi spiritum hunc Creatori et Redemptori meo Deo: quem evocantem me libens sequar, ita me ille amet. O dies, quae me collocabis apud magnum illum Monarcham, quando illucebis? Exoriere, exorere. Quid enim in immundo hoc corporis folliculo (cum Arnobio hic dicam) in hac lacrymarum valle, ad vitam longam optandam hominem Christianum instiget? quae tamen nihil minus quam longa si paullum modo attendas, et ad aeternitatem componas. Miseram profecto vitam hanc nostram, in qua iuges aerumnae, perpetuique labores. Nos ipsi, qui sapere supra vulgus studemus, nunquid noctes dies laboramus? scilicet, ne lapis lapidem sessorem patiatur, quod ille Sapiens aiebat. Et cum nihil non exanclaverimus, aliquem iam studiorum fructum exspectantibus obrepit inopino pede mors immatura. Quid itaque, inquam, hominem Christianum in valle ad vitam quam longissimam optandam instiget? honores forte an olim exspectandi? non possunt: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas! Ipsi illi honores, qui aliquid esse videntur, molestiae merae sunt, quae blanda specie sollicitant plerumque, et decipiunt imbecillam hanc mentem hominum. Et peribunt, peribunt, fumi adinstar. Itaque meritissimo aspernamur nos, qui Deo nostro sacramento

honores dixinus. Magis delectant veri isti et immortales, ista gaudia, quae una cogitamus, quae exspectamus a largo nostro Patre propter sanctissimum unici illius Filij meritum. O nos beatos qui in hunc speramus! neque enim fallet ea spes: quae in hominibus ponitur, et potest, et solet interdum. Sed abrumpo sermonem, video enim excessisse me epistolae finem. Tu Vir Nobilissime et doctissime me, quod facis, amare perge. Habes me nominis tui observantissimum. Vale! Anno redemptionis humanae clɔ Iɔ XCVII. quem felicem tibi precor. Pridie Idus Ianuarias, id est, tribus diebus ante natalem meum XVIII. Deus ille Opt. Max. det mihi venturos annos transigere feliciter, ad nominis sui sanctissimi gloriam, proximi utilitatem, animae meae salutem. Amen.

Tuus, quem diligis,

Ioannes Meursius.

[illegible]

[illegible]

Eersamen, vroedtsten, voorsieni-
ghen, seer discreten, hoochgeleer-
den heere, H. Dirck Can-
ter, woonende bij S.
Hieronymus school tot
Utrecht.

Den brenger [illegible] [illegible].

1599

Joa. Merchovius

[library stamp]

7

37 7

Joannes Verhonius Arnoldo
Buchellio S. D.

Tradita mihi hodie est schedula, mi Buchelli
a te huc missa: in eaque iudicium Varstij,
affinis tui, de Fioravante: cui libenter acquiesco.
eoq. magis, cum eadem fere hic, licet non tam recta, de
ipso perceperam. quare statim hic ad te scripta:
ne tu haesitando, simul operam: (quam video in his reb.
diligentissime adhibes) et ego pecuniam perderem. De
Smetij Inscriptionib. quae scribis te ipso Josepho Scaligero
te audisse, miror: cum Typographus non promittat illum in
catalogo, sed ut ipse vidisti, eidem audacter inserit.
~~[illegible]~~ de Annali Roberti libro adiungis, non reperiri in 4°
sed in fol. idq. ex Parisiensi editione, ~~[illegible]~~ voluissem
ad me misisses; nisi Joannes Guilhelmus noster bibliopola,
quem credo nosti, iret ad auctionem iussisset: qui te hoc
onere levabit, si tantum indicaveris et modo nomine
compendiat. quod rogo facias. vale mi Buchelli VI Kal.
Jul. A° CIↃ IↃ XCIX

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

Eruditione Integritate
Prestantissimo J. C.^to
Buchellio

Lugdunum Batavo.

1599 zu

Everardus Booth

Predikant te Utrecht 1602 - 1610.

BIBLIOTHEEK DER RIJKSUNIVERSITEIT TE UTRECHT

8 - 10

Immanuel

S. P. a domino nostro Jesu Christo.

Si vales, vir clarissime, est cur gaudeam, ego Dei gratiâ vivo & valeo pro voto. Etsi mihi propter exercitia Academica vix tantillum temporis superest, quo literas conscribere, & te occupatissimum esse sciam, tamen cum in negotio tuo omnia mihi satis bene successerint, non potui intermittere quin aliquid literarum licet tumultuarie ad te darem, ut sic cognosceres, quomodo & quibus conditionibus tua curaverim. ~~Et~~ Scripsi in posterioribus literis, quid caussae fuerit quod Aretii missionem distulerim, videlicet quia studiosus ille possessor libri ab urbe aberat, nunc autem cum reversus esset confestim eum conveni & Aretium non difficulter impetravi, & nec pecuniam nec librum pro eo a me recipere voluit, sed ut eum tibi dono offerrem animo libenti mihi tradidit est enim prodives & doctorum virorum amans & admirator, voluit etiam ut tibi scriberem, si eundem non esse putares quem in literis ad me missis notasti, aut quid in eo desiderares per literas aut alio modo significares, curaret ut haberes id quod adesse debet, habet enim bibliothecam instructissimam libris regiis typis excusis. ~~De~~ Veniet in feriis paschalibus Ultrajectum & te invisere statuit. De Wouwero quod scribis ut eum tuo nomine salutarem, scias, eum discessisse in Italiam antea quam responsum ad meas literas a te accepissem nondum etiam simultas inter Meursium & Scriverium extincta est. Plura vetat tempus. Deus opt. Max. te diu incolumem conservet. Vale & festinationem meam boni consule, meque solito tuo favore prosequere. Dato Lugduni in Batavis IX. Kalend. Januarii Stylo hollandico. Anno 1599. e museo nostro.

Tui observantissimus,

Everardus Bootius.

BIBLIOTHEEK DER RIJKSUNIVERSITEIT TE UTRECHT

Amplissimo Nobilissimo doctissimoque
viro D. Theodoro Cantero, viro
Consulari et Senatorio, Domino
et Fautori suo unicè colendo,

Ultrajectum

1599

Clarissimo Theodoro
CANTERO

S. P. a domino nostro Jesu Christo.

Quod longo temporis intervallo nullas ad te dedi literas V. C. haec caussa est, quod plerumque ita fiat, ut, cum scribendi otium est, tabellarius, aut is, cuj perferendas darem, deest, cum tabellarius adest otium aut argumentum scribendi desideratur. Nunc autem et scribendi otium et argumentum, et mittendi occasionem commodam nactus intermittere non potui, quin aliquid ad te scriberem, cum, quia jam diu est, ex quo nihil à me literarum accepisti, ideoque nomine negligentiae, aut (quia legem gratitudinis sim transgressus) ingratitudinis suspectum me habere possis; tum, ut theses hasce meas clarissimo nomini tuo inscriptas ad te transmitterem: Cum enim singularis tua benivolentia ad desiderium grati animi testificandi non semel me concitasset, tandem conditioni meae maximè congruere existimavi, ut racemum hunc ex SS. Theologia vineâ decerptum e tenui meâ penu tibi offerrem; cum enim ad haec studia longe necessaria et saluberrima hortator, ductor & auctor mihi fueris, non habui cuj aequius hosce studiorum proventus consecrarem. Quare te V. C. rogo ut hoc levidense munusculum gratitudinis qualecunque testimonium benevolè suscipias et non tam donum quam donatoris animum inspicias, quod si feceris (ut facturum confido) me tibi in aeternum devinctissimum habebis. Audi nova, sed tristia, inter duos illos antea foedere amicitia conjunctissimos Meursium et Scriverium acre dissidium ortum est, hic illius famam apud viros graves et primarios graviter laesisse dicitur, ille injuriam illatam quacunque ratione ulcisci conatur, In alterum in scriptis suis invehitur, ut nuperrime in carmine quodam propemptico et in Plautinis suis, quae adhuc sub praelo sunt; dolendum est, duo illa summa ingenia et hujus academiae lumina adeo sibi inuicem adversari: Pestis praeterea in hac urbe saevire incipit. Haec hactenus. Plura aliâs. Deus Opt. Max. te diu nobis incolumem conservet. Salutem tibi dici voluit officiosè Heynsius noster, qui tua fragmenta ubi iis adhuc aliquantulum usus fuerit, remittet & rescribet. Vale, et meam festinationem boni consule, et si quid aut omisero aut commisero adscribe. Datae Lugduni in Batavis 7. kalend. Sextil. calculo Gregoriano, anno ch. Is. Ic. e musaeo nostro.

Tuus tuo merito totus
Everardus Bootius

1609.

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

Familia & eruditione nobiliſsimo
ſpectatiſsimoque viro D. Theodoro
Cantero, viro conſulari & Sena-
torio, ſtudiorum meorum fautori
plurimum mihi ſuſpiciendo.

Ultrajectum

26. Jul. 4 anni 1599

…a.

S.P. Accepi tuas literas, vir clarissime, et ex iis te mirari, quod nihil
post abitum meum rescripserim, intellexi, verum si caussas
cognoveris, mirari desines, spero. Huc enim cum venissem
continuo Bedellum adii, qui cum ad nundinas Francofurtenses
esset profectus, catalogum librorum Aldegondii venditorum
inspicere non potui, ut de nomine studiosi certus fieri possem, et hoc saltem
ex filio Bedelli audivi (quod et ante a me Ultrajecti recepisti)
alterutrum ex duobus istis Selandis (videlicet Johanne Ferdinando
et Adriano Guilhelmi) esse, quos etiam compellare non potui, quia
huc non redierunt, et ob pestem (ut arbitror) in Selandia adhuc
morantur. Cum iam autem ipsorum συμπατριῶται (quorum duo
nostri sunt domestici) et alii, in horas dies singulos ipsorum
adventum expectabant et mihi spem eos propediem conveniendi facerent
scriptioni meae moram aliquamdiu injeci, quoniam quod scriberem
operaepretium esse non putabam, et quid scriberem non
habebam, ideoque differebam donec certi aliquid possem significare.
Nunc vero tuis insuper literis officii et promissi admonitus,
intermittere non possum quin adhuc me incertum esse certiorem
te faciam. Quare moram meam boni consulas rogo nec mea negli-
gentia commissam putes, cum sedulo semper et de catalogo
inspiciendo et studiosis conveniendis inquisierim, et inquisiturum
me esse tam diu confide donec quid certi ex proximis literis meis
intelliges, nam diutius abesse hinc non possunt, et Pedellus ubi
ex nundinis redierit me de nomine possessoris istius libri instru-
ere poterit. Pestis hic nec ~~augetur~~ crescit nec decrescit, nam
semper fere singulis hebdomadis aut septuaginta aut
octuaginta aut circiter ex peste moriuntur, ex proximis ante
nostris aedibus tota familia undecim capitum extincta est
et in vicinis subsequentibus aedibus sex ex eadem contagione obiere,
G. Bontius etiam professor medicinae et academiae rector cum diu
aegrotus decubuisset 14 Septemb. mortuus est, sed non ex peste,
nullus enim aut professorum aut studiosorum (quod quidem intellexi)
ex ea laboravit, laus deo. Huic deo opt. max. sis commendatus
qui te diu nostrae reipublicae incolumem conservet. Vale
et meam hanc rapsodiam boni consule, qui nuntius festinabat
et eodem die rescribere volebam. Heynsius, quem salutari
~~[illegible]~~, nondum rediit. Iterum vale, datae Lugduni
in Batavis 29. Septembris, quo die tuae mihi sunt datae, Anno 1599
e museo nostro.

Totus tuus tuo merito

Everardus Bootius

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

Brieven van theologen
uit het begin der 17^e eeuw

Clarissimo nobilissimo prudentissimoque
viro D. Theodoro Cantero
viro senatorio et consulari
domino & fautori meo
Ultrajecti

cito cito

1199.

1600

Franc. Junius

11

S. In iurgiis illis vestrorum hominum, vir nobilissime, quid præstiterim
credo te non ignorare: euentum qualem voluit præbuit Dominus.
Doleo non magis sapere eos qui sapientia prudentia æquanimitate,
modestia (nequid de pietate dicam, quæ non est omnium) prælucere
debent populo & reip. Det illis mentem Dominus Pater omnis
sapientiæ. D. Ursino bene prospexit Deus. Quod manum illam
adiutricem Euerardo Bootio porrexisti, laudo & gratias habeo:
in eum collatum beneficium bene locatum est. Si viuet, spero
facturum Deum ut vestræ Ecclesiæ & reipub. nauet bonam
fidelemque operam. Spero & Cæsarium filium, si vera sunt quæ
adferuntur ad me; & credo. Ego in hoc Bootio informando
eo diligentior futurus sum, quia vestris & Christi nomine
& peculiari quadam ratione mea optime cupio. Hi duo
iuuenes fratres, qui has literas exhibent A.T. ciues mei sunt,
filii viri optimi, qui Aduocatum regium agit apud Bituriges,
urbem vestram voluerunt inuisere, & salutare bonos: quorum
in numero cùm tu, vir amplissime, tuo merito habearis, non
potui quin literas ad te darem, ut de tuis occupationibus
momentum saltem salutationi datum decerperent. Vale
vir Amplissime, cum familia & bonis omnibus. Lugduno Bat.
die Iouis xiiii Septembris 1600

T. A studiosissimus
Fr. Junius.

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

1600

Nobiliſsimo amplissimoq viro

D. Theodoro Cantero, viro
Consulari, Domino obſeruando

Vltraiecti

H. 230.

1621

Henr. Eppius.

46 12

S. P.

Clarißime et Consultißime, nec non Amplißime Dne Licentiate, amice colende, constituerint Ordines Hollandiæ et Westfrisiæ An. 1616 die 21 Maij, Conjugi meæ, quæ mecum et cum filiolo hic 11 hujus mensis appulit, annuum reditum aureorum 20. Is iam propter absentiam meam et Conjugis, et negligentiam in exigendo, excrevit" Lugduni Batavorum apud quæstorem Hogevenium, qui quotannis reditum illum hactenus numeravit, in aureos 40 hoc est biennalem proventum, et exactionem jam efflagitat, ne dilatio ejus difficultatem quandam vel molestiam pariat. At neminem habemus cujus opera Lugduni Bat. solutionem urgeamus. Cum itaq; nobis innotuerit, te illic nunc apud cognatos vel adfinem commorari, et nostra conditio præsens non patiatur nos ultra dies 12 aut [illegible] amplius subsistere, sed domum revocet, rogatum te etiam atq; etiam velim, ut solutionem aureorum illorum 40 urgere per notum hominem, tibiq; eam fieri curare velis, quo ubi huc revertaris, compotes pecuniæ ejus apud te fieri queamus. Apocham interim et testimonium de vita conjugis meæ his annexa habes. Salutem mecum precatur conjux mea, Tibi, Conjugi tuæ, Dno Doctori Vorstio, ejusq; Conjugi et liberis. Raptim Ultrajecti 15 Julij, An. 1621 styl. vet.

" 21 Maij, proximè elapsi

Tui

studiosiß.

Henr. Eppius.

Constitutionem annui reditus, cujus supra memini, inveniet Qstor in libro suo pag. 1985. ut indicat inscriptio instrumenti vel literarum Conjugi meæ in rei testimonium datarum.

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

Amplißimo, Clarißimo et Consul-
tißimo viro, Dño Arnoldo Buchelio
I.I. Licentiato, Amico meo colen-

1621

508.

N. 73

508 **Arnoldus Buchelius.** — Fraaie eigenhandige Latijnsche brief van hem aan Caspar Barlaeus. Utrecht, ~~17 Oct.~~ 1630. 2 bladz. folio.

15 Sept

Ar. Buchelius. Doct. Caspari Barlaeo Med. et philosopho S. D.

Salue clarissime Dno Doctor. Dolui de digressu tuo a nobis, nam habebam, de libris, bibliotheca, picturis, numismatibus, aliisque tecum conferenda. Imposuerat mihi sed nescius quidam qui dixerat te Rhenas profectum, unde reditum tuum expectabam. Nunc Blanchendalius noster ad vos proficiscitur, cum quo mitto libellum aere tantum meum, pro illo vero tuo quem dono dedisti; impar munus, aereum scilicet pro aureo. Est a. acutissimi philosophi ex ingeniosa Italorum gente, qui quod maxime illo voluit haud impetravit tamen: nec de eo dici potest, quod Scaligerum olim de Mureto dicentem audivi; qui flammam evasit, fumum mihi vendidit, flammis n. (si vera fama est) tanquam Impius & Atheus vitam perdidit; nec homini profuisse, dicitur quod Pontifici et ecclae Rom. tam anxie sua scripta submiserit, Loyolitis item patribus blanditus fuerit toties, ac Inquisitorum favorem ambierit. Tanquam Epicureus et Atheus traducit hoc libro Cardanum, Pomponatium, Machiabellum; multa in Scolasticos etiam theologos velitatur, sed, ut mihi quidem videtur, pugnat interdum

Tanquam qui vincere nollet,

Et in rebus maxime seriis praevaricatur; Judicium tuum, Vir Doctissime, qui in tota hac materia versatissimus es expecto. Plura eius scripta extant. ut sunt, Apologia pro Tridentino concilio; Alia pro Mose, Christo, de lege: Defentionem Aristotelicam; De Arcanis naturae: Trinum Magicum, alia.

Fulminat~~um~~ passim in Atheos, impios, haereticos, ut eo
scilicet clypeo tectus, tutius sua propaget. Verum
hoc displicet, ut iam dixi, in eius sortis hominibus,
quod maximi interdum momenti res, ita fragili
fulciant statumine, ut facile vel xie se ruinam
minentur. Sic et is qui de authoritate S.S. libellum
scripsit, sive Socinus sit, sive alius eius generis,
totam illam disceptationem tam gravem, tam fundamen-
talem nrae religioni, concludit profano vulgaris
poetae versu. Sed ne te, mi Barlaee, morer
diutius, oia vobis prospera a Deo O. M. precor,
et finio. Adiunxi vero schedulam cum Calloti
~~imagine~~ pictura graphice admodum Infantium ab Herode
caedem exprimente; quam velim Dno Rectori
Streselio porrigas, pro sua olim mihi, tuo ~~petit~~ rogatu,
missa effigie. Et vale quam optume, ut tuo ingenio
frui Respubl. literaria quam diutissime possit,
et nos tuum ea; iterumque vale vir clarissime,
ac tuum Burselium, ut facis, amare perge.
Traiecti in Batavis XVII Kal. octobr. A.C. 1630.

Clariſsimo Doctiſsimoque viro
D. Caspari Barlæo Medico
& Philosopho eminentiſsimo.
amico meo non e multis

Lugdunum
Batavorum

1643

Jac. Lydius.

S. P.

Vir Consultissime, amice integerrime,

Nuper amicus quidam meus Poëmatum D. Westerburgij p. m.
apud me mentionem injiciebat, quorum edendorum desiderio se teneri
ajebat. Equidem magis illud accendi operam meam in poëmatijs conqui-
rendis eidem promittendo. Ita ut jam ea edere certum nobis sit. Sa-
tis commemini quanta Tibi cum communi amico illo quondam nostro
D. Westerburgio intercesserit familiaritas; proinde vix ambigo, quin nonnulla
apud Te lateant poëmata, aut ab alijs amicis Ultrajectinis tuâ
operâ nobis exhiberi possint, quam nunc à Te nobis commodari rogamus.
Epistolas quoq; ejusdem, si quas nancisci possimus elegantiores una ede-
re est animus, quales à Te similiter aliquas expectamus.
Frustra hactenus expectavi exempla reorum à supplicio mortis liberatoru, eo
quod à puellis marili expeterentur. qualia in archivis vestris extare Dominus
Botius narrabat, eorumq; descriptionem ambo promittebatis. Vide quæso
quam durus ego exactor sim, qui litterarium illud munusculu tam audacter
postulo. Sic enim jubet grata illa mihi familiaritas. Vale Doctissime
D. Lappl, et me amare perge, amoremq; litteris interdu ad me datis
testare. Dordr. 24. Mart. 1643.

Tuus
Jacobus Lydius

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

Erntfeste, Wyse, hooggeleerde
Heere, Heere Gysberto
Lappio Advocaet woonende
by S. Geerte kerckhof

Tot

Utrecht

Port

Recepta
15. martij.

1643

C. 6713.